Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1233
Quelle:
Copyright:

nomen *Jacobi de Columna*, viri, ut ait *Ptolemaeus Luc.* in *Hist.* sua, *magnae maturitatis et innocentiae et religionem amplexantis*, qui multa sub *Bonifacio* VIII. passus, sed a Successore restitutus in integrum anno 1318. obiit, ut pluribus *Ciaconius* et alii. Opusculum porro ipsius *Jordani*, quem *Heroldus suprac.* perperam Magistrum generalem *Ord. Praed.* alii *Augustinianum* dictum *de Quedlinburgo* s. *Saxonia* credidere, sic incipit: *Multipharie multisque modis dominus vniuersorum in diebus sue carnis dignatus est honorare romanum imperium* &c. Post ea verba: *aures habent et non audient*, *Schardii* p. 300. Librarius noster erronee subjecit: *Explicit tractatus magistri Jordani.* Procedit enim Codex noster, sed multum interpolatus et fusior cum *Schardio* usque ad *Fridericum* II. qui *ultimus* dicitur, in quo post ultima verba: *ad exercitium electorum*, Noster prosequitur: *Nouissime autem diebus istis postquam Imperium per annos quasi triginta duos vacauerat. visitauit deus plebem suam et suscitauit ei principem serenissimum Rupertum* (Rudolphum) *de habsburg comitem in eius electione concordi et coronacione solempnissima sicut dei gratia cunctis manifestissime apparuit, Sic eciam in ipsius promocione diuinum auxilium nunquam se subtraxit. Sed ego ad describenda huius victoriosi regis magnalia manum retrabo, quoniam ad hoc me penitus insufficientem recognosco.* Ignorarunt hanc περιποιήσιν *Heroldus* et *Schardius*; legitur vero in edit. *Rom. suprac.* ibique *Rudolphus* audit *de Haldensburch comes prope Basileam*, teste *Audiffredio*, qui inde et aevum *Jordani* elicit, nisi fortasse totus iste locus a Scriptore posteriore insertus fuerit. Reliqua usque ad finem, sed alio ordine, etiam apud *Schardium* leguntur. Nihilo minus tamen Juris publici *Germaniae* studiosi non sine fructu codicem nostrum adibunt, de cujus Autore insuper consuli potest *Oudinus* T. III. col. 626. qui Editionis nascente typographia procuratae et sine autoris nomine *de Commendatione Romani Imperii* inscriptae meminit, quae utique *Romana suprac.* non est.

VIII. *fol.* 85. rubro: *Incipit physonomia domini Alberti Ordinis fratrum Predicatorum.* Initium: *Physonomia dicitur quia diuinare docet de effectibus hominum per phisicas formas membrorum* &c. Excerptum est solummodo ex ipso *Alberti* Tractatu, quem habes in edit. *Opp. omn. Lugd.* 1651. T. VI. *Tract.* 2. c. 2. p. 20. f. Definit: *qui ad canes blandientes referuntur.*

IX. *fol.* 88. rubro: *Ludus cartularum moralisatus. Incipit Prologus.* Initium: *Secundum sententiam doctorum Mundus iste siue totum vniuersum regitur a deo* &c. De foliis lusoriis haec: *Hinc est, quod quidam ludus qui ludus cartarum appellatur hoc anno ad nos peruenit scilicet anno domini 1377.* De se ipso Autor: *Vnde ego frater iohannes in ordine predicatorum*